

PRIMUS CASUS,

*Quando filum perpendiculi interfecat latus
rectum Quadrati penduli.*

Si cadat perpendiculum in latus rectum seu umbram re-
ctam BC Quadrati penduli, signum est umbram realem ab altitu-
dine FG projectam, esse minorem ipsâ altitudine, uti ex dictis ac
demonstratis cap. 4. constat. Quam autem proportionem ha-
beat umbra cum altitudine, discas ex facie anteriore Tabellæ pri-
mæ Geometricæ. Nam si filum perpendiculi abscindat partes
2 lateris recti BC; umbra est sextuplo minor quàm altitudo: si
abscindat partes 3, umbra est quadruplo minor quàm altitudo
&c. prout in dictæ Tabellæ primæ facie anteriore apparet. Itaque
si numerum pedum aut palmorum umbræ inventum sextuplices,
quadruplices, triplices &c. habebis altitudinem in pedibus, pal-
mis, ulnis &c. prout umbram dimensus fueris pedibus, palmis,
ulnis &c.

SECUNDUS CASUS,

*Quando filum perpendiculi cadit in angu-
lum Quadrati penduli.*

Si filum perpendiculi cadat in angulum C Quadrati pen-
duli, seu abscindat partes 12. lateris tam recti BC, quàm versi
DC; umbra est æqualis altitudini, sicuti æquale est latus rectum,
lateri verso Quadrati. Quare habito numero pedum, palmo-
rum, ulnarum &c. umbræ, habebis altitudinem in pedibus, pal-
mis, ulnis &c.

TERTIUS CASUS,

*Quando filum perpendiculi interfecat latus
versum Quadrati penduli.*

Si perpendiculum cadat in latus versum seu umbram ver-
sam DC Quadrati penduli, signum est umbram realem ab altitu-
dine FG projectam, esse majorem ipsâ altitudine, uti ex dictis ac
demonstratis cap. 4. constat. Quam autem proportionem ha-
beat umbra cum altitudine, discas ex facie posteriore Tabellæ